

QUESTIONVM SVPER IOSVE

quam spirans, sicut præcepit dominus Moysi puero suo, & Moyses similiter præcepit Iesu, & sic fecit Iesus: non est transgressus quicquam ab omnibus quibus constituit dominus Moysi. Propter hoc nullo modo putanda est ista crudelitas, quod nullum vni in ciuitatibus sibi traditis dimittebat Iesus, quia deus hoc iusserat. Qui autem existimant hic deum ipsum fuisse crudelem, & propter hoc veteris testamenti verum deum fuisse autorem nolunt credere, tam peruersæ de operibus dei quàm de peccatis hominū iudicant, nescientes quo quisque dignus sit, & magnum putantes malum cum casura deiciuntur, mortalesque moriuntur.

XVII.
Iosuc. II.

Et non erat ciuitas quæ non erat tradita filiis Israël. Queritur quomodo hoc verum sit, cum nec temporibus postea iudicum, nec temporibus regum omnes omnino illarum septem gentium ciuitates capere potuerint Hebræi. Sed aut sic intelligendum est, quod ad nullam ciuitatem belando accessisset Iesus quam non ceperit: aut certe nulla non capta est, scilicet earum quæ in regionibus supra commemoratis fuerunt. Enumeratae sunt enim regiones in quibus fuerunt ciuitates, de quibus facta est ista conclusio, Et omnes cepit in bello.

XVIII.

Quia per dominum factum est confortari cor eorum ut obuiam irent ad bellum ad Israël, ut exterminarentur, ita ut non daretur eis misericordia, sed ut exterminarentur, sicut dicit dominus ad Moysen. Ita dictum est hoc per dominum factum confortari cor eorum, quod est obdurari cor eorum, sicut de Pharaone: quod diuino altoque iudicio iuste fieri minime dubitandum est, cum deserit deus & possidet inimicus: quod sic accipiendum est quemadmodum & ibi. Sed hic aliud mouet, quomodo dictum sit ad hoc eis confortatum cor, ut exurgerent in bellum aduersus Israël, & ob hoc eis non præberent misericordiam: quasi præbenda esset si non bellarent, cum deus præceperit nulli eorum esse parcendum: & ob hoc Gabaonitis pepercerint, quia se de longinqua terra venisse fingentes eorum irationem tenebant, sed quoniam quibusdam vltro præbuerunt Israëlitis misericordiam, quamuis contra dei mandatum: ad hoc dictum esse intelligendum est istos ita debellasse ut non eis parceretur, nec ab eis ipsi Israëlitis neglecto dei mandato ad misericordiam flecterentur. Quid quidē duce Iesu, qui omnia diligenter diuina præcepta seruabat, non est credendum fieri potuisse: veruntamen nec ipse istos tam cito deiecit, nisi conspiratissime contra irent atque ita fieri posset ut eis ab illo minime debellatis qui dei præcepta implere curabat, remansissent ad illud tempus quando eis possent parcere post mortem Iesu, qui non tanta cura dei mandata faciebant. Nam & adhuc eodem viuentē quibusdam illi pepercerunt, tantummodo eos ditoni suæ subiugantes: quosdam vero nec vincere potuerunt.

XIX.
Iosuc. 16.

Verum hæc non illo duce facta sunt: sed cum iam senex vacaret à bello tantummodo eis terras dimittens: ut ipsi iam illo non bellante, diuisas sibi terras partim iam hoste vacuas tenerent, partim pugnando caperent. Et quod vincere aliquos minime potuerunt, prouidentia diuinæ fuisse. opportune scripturarum certis apparebit locis. Et non perdidit Effrem Chananæum qui habitabat in Gazer: & habitabat Chananæus in Effrem vsque in diem istum, donec ascendit Pharaon ex Egypto & cepit ciuitatem & incendit eam igni: & Chananæos & Pherezæos qui habitabant in Gazer transpuxit: & dedit eam Pharaon in dotē filiaē suæ. Quod de Pharaone rege dictum est, miror si propheticè dictum intelligere debemus, cum hæc historia illis temporibus conscripta credatur, quibus erant gesta illa recentia. Quid autem magnum eligi potuit

quod propheticè diceretur, cum præterita hærentur taceanturque futura maiora, & maxime necessaria: Proinde potius existimandum est septuaginta interpretes, qui autoritate prophetica ex ipsa mirabili consensione interpretati esse perhibentur, hæc addidisse non tanquam futura prænunciantes, sed quia illo tempore ipsi erant quo hæc facta esse meminere & in libris regnorum legerant. Etenim regum temporibus factum est. Quod ideo credibilis nobis visum est, quoniam in septuaginta interpretatione quæ est ex Hebræo, & hoc ibi non inuenimus: sicut nec illud quod dictum est de Hiericho, quod Oza qui eam perpassus incurrerit maledictum quod dixerat Iesus. Sic enim scriptum est, Et adiurauit Iesus in illa die, Maledictus homo qui resuscitabit & ædificabit ciuitatem illam, in primogenito suo fundabit eam & in nouissimo suo imponet portas eius: huicque inuenitur in interpretatione quæ est ex Hebræo. Illud autem quod sequitur, Et ita fecit Oza qui ex Bethel: in Abiron primogenito fundauit eam, & in saluato nouissimo imposuit portas eius: hoc illic non legitur. Vnde apparet à septuaginta interpositum, qui factum esse nouerant.

Et XX.

Iosuc. 17.

Amorrhæus permansit ut habitaret in Helon & in Salanon, & grauata est manus Effrem super eos, & facti sunt illis tributarij. Hæc iam contra præceptum fiebant, & adhuc viuebat Iesus, sed dux eorum in illis prælijs iam præ senectute non erat. Propter hoc dictum est à domino, Factum est ut confortaretur cor illorum qui simul conspirauerant ire in bellum contra Iesum: ne ista illis misericordia præberetur, etiam contra dei præceptum si remansissent non expugnati: senescente, siue defuncto Iesu relinquere expugnandi à filiis Israël, qui eis contra præceptum domini possent parcere, quod ille non faceret.

XXI.

Iosuc. 21.

Merito queritur, cum Israël non solum vsque ad diem mortis Iesu, verum etiam postea non eradicauerit gentes quæ terram promissionis tenebant, quamuis ex parte debellatis in eadem promissa hæreditate confisterent, quomodo intelligendum sit quod dictum est, Et dedit dominus Israël omnem terram quam iurauerat dare patribus, & hæreditauerunt eam & habitauerunt in ea, & requiem dedit illis dominus in circuitu, sicut iurauerat patribus eorum: non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum, omnes inimicos eorum tradidit dominus eis, & manus eorum non decidit: ex omnibus verbis bonis quæ locutus est dominus filiis Israël, omnia aduenerunt. Diligenter ergo vniuersa consideranda sunt. Et primum videndum quot gentium terra promissa sit Israëlitis. Septem quidem gentes assidue videtur commemorari, sicut in Exodo legitur, Et dixit dominus ad Moysen, Vade & ascende hinc tu & populus tuus quos eduxisti de terra Egypti, in terram quam iuravi Abraham & Isaac & Iacob dicens, Semini vestro dabo eam: & simul mittam angelum meum, & eiciet Amorrhæum & Cethæum & Pherezæum & Gergesæum & Euzæum & Hiebusæum & Chananæum. Harum ergo septem gentium terram videtur deus patribus promississe. Scriptum est etiam in Deuteronomio multo expressius, Si autem accesseris ad ciuitatem expugnare eam, & euocaueris eos cum pace, si quidem pacifica responderint tibi & apparuerint tibi, omnes populi qui inuenti fuerint in ciuitate erunt tibi tributarij & obedientes: Si autem non obedierint tibi, & fecerint ad te bellum, & circumsedebis eam, & tradet eam dis deus tuus in manus tuas, & interfices omne masculinum eius in nece gladij: præter mulieres & supellectilem, & omnia pecora & omnia quæcunque fuerint in ciuitate: & omnia vtenilia prædabis tibi, & edes omnem prædationem.

Ex. 033

Deu. 20.